

pondere et justo libramento recta in aquis consistat; in hac etiam erat sentina quas sordes ex superioribus tabulatis per canales exciperet, atque per foricas, sive foramina in aquas foras emitteret. Hæc tamen foramina non erant in hac ima parte (hæc enim tota erat sub aquis), sed in sequenti, sive secunda contignatione, in quam per antliam ex ima parte aqua et sordes attollebantur: nisi malis dicere cum Torriello, sordes sublatas fuisse per funes in primum et summum tabulatum, ad fenestram arce, ut per eam, utpote magnam, foras eicerentur.

In secunda contignatione, sive tabulato, erat locus omnium animalium tam reptilium, quam gradientium, in plurimas (Delrio numerat 300) cellas, sive mansiuiculas, majores, vel minores, pro quantitate animalium, utraque ex parte distinctus: in cellis erant præsepia aliæque vasa cibum et potum continentia; in cellarum pavimento erant fenestellæ, per quas sordes animalium in sentinam demitterentur; in medio cellarum utrimque erat transitus, seu via, qua homines cum lucernis discurrerent ad singulas cellas, ut eas inspicerent, et cuique animali de necessariis providerent. In hoc tabulato erat ostium arce, de quo versu 16, idque magnum et amplum, utpote per quod elephantes, camelii omnique animalia inducta sunt in arcam.

In tertio tabulato erant distinctæ apothecæ, continentium tum annonam animalium et hominum, puta fenum, paleas, poma, frumentum, semina, legumina; tum dolia aquæ dulcis, ad potum et ad lotionem. Ex hoc tertio tabulato, per foramina, tubos, in quodque præsepe secundi tabulati cibus et potus immittebatur: hic etiam reposita fuit omnis suppellex, tam urbana quam rustica, post diluivium usui futura.

In quarto et summo tabulato, locus erat hominum et avium. Primo ergo erat hic cubiculum Noe et filiorum distinctum a gynæceo, sive habitaculo mulierum (ab his enim viros, durante diluivio, abstinuisse docent S. Ambrosius, Rabanus, Anselmus Laodunensis, S. Hieronymus in Zacharia XII, Delrio et alii); huic lumen infundebat fenestra arce. Secundo, erat hic culina cum camino et foco; tertio, furnus, pistrinum et mola trusatiles; quarto, lignile cum lignis et carbonibus; quinto, penus annonæ tam cibi, quam potus. Ex alia parte erant cavæ et nidii singularum avium, cum suo pabulo. In his cenaculis erant scalæ, per quas ex uno in aliud ascendebant et descendebant.

Porro, ut docet Buteo, in hac quarta contignatione erant spiracula ad auram excipiendam et renovandam. Erant hæc spiracula veluti quidam camini, qui usque ad arcæ summitatem protendebantur, ut per aperta quædam ostiola, utriusque sub prominente tecti stillicidio apte fabricata (quo a pluvius tuta, et ab aquarum fluctibus remotiora essent), fetores exhalare, et inclusus aer

transpirare posset, ne sordium fetore infectus, animalia etiam ipsa inficeret interimeretque.

His omnibus tectum erat impositum, planum, sed nonnihil acclive, et assurgens ad altitudinem cubiti (ut patuit ante), ut utrimque pluviam illapsam effunderet foras arcam, in aquas.

Jam triginta cubitos altitudinis arce, ita per quatuor tabulata jam dicta disperitur Buteo, ut sentina habuerit quatuor cubitos altitudinis; secunda contignatio, in qua erant animalia, habuerit novem cubitos altitudinis; tertia, cibariorum, habuerit octo; quarta, hominum et avium, habuerit novem cubitos altitudinis.

Porro Noe, Deo dirigente, in arca, sicuti animalium mansiones locaque sapientissime distinxit, ne sese invicem ullo modo possent animalia ledere: ita etiam miri judicio onera cuncta intra arcam ea ratione locavit ac disposuit, ut ipsa arca, veluti justis librata ponderibus, recta positione, super aquas consistere ferriq; posset.

Arce hujus et diluivii meminerunt omnes profani scriptores, teste Josepho, lib. I Antiq. cap. IV, ubi addit etiam suo tempore, reliquias arce apud Armenos ostendi solitas.

Allegorice, arca est Ecclesia, Noe est Christus salvator et consolator orbis; munda animalia et immunda in ea, sunt justi et impij; qui extra hanc Christi arcam est, puta heretici et infidelis, peribit regnante diluivio, inquit S. Hieronymus. Ita et S. Augustinus, lib. XV De Civit., xxvi, et S. Gregorius, homil. 16 in Ezechiel., ubi inter cætera ait: « In uno cubito consummatur arca, quia unus est auctor et redemptor S. Ecclesie sine peccato, ad quem omnes proficiunt, qui se esse peccatores noverunt. » Vide Ferum hic, in fine cap.

Tropologicæ, arca est anima sancta, per cruce et labores recisis vitis dolata, quadrata et ex omni parte librata. Rursum, arca est secretum conscientie; Noe est mens; longitudo arce est fides; latitudo, charitas; altitudo, spes, item oratio et contemplatio; inundatio aquarum est impetus tentationum; montes Armenie in quibus arca requiescit, quies est anime in contemplatione rerum divinarum; volucres arce sunt cogitationes celestes; animalia sunt opera et curæ circa res terrenas; corvus emissus nec reversus significat falsos Christianos, qui foris in fluctuatione temporalium letantur, nec redeunt ad mentis quietem; columba reversa significat bonos Christianos, qui ad opera charitatis emissi, mox ad mentis quietem redeunt, sed cum ramo olive, quia peregrinunt opera misericordie. Hæc omnia habet Hugo Victorinus, lib. Allegor. in Gen. cap. XVIII, et Origenes hic.

18. INGREDIERIS ARCAM TU ET FILII TUI, UXOR TUA, ET UXORES FILIORUM TUORUM. — (1) Separantur hic viri

(1) « Ponamque fœdus meum, » etc. Vox בְּרִית (ברית) dissecat, ob dissectionem animalium in partibus fœderibus usitatum. Cf. infra, xv, 10, ubi do

secunda erat animalia per cellas distincta.

In tribus erat arca.

In quatuor erant arce et bunnus.

Spiracula erant in arca.

ima pars arce habebat quatuor cubitos altitudinis, secunda novem, tertia octo, quarta novem.

Allegorice, arca est Ecclesia, Noe est Christus.

Insi: nite tropologicæ, arca est secretum conscientie.

« feminis, ut innuat, in arca abstinendum usu conjugii, utpote tempore diluivii, id est, luctus et penitentia, ad propitiandum Numen. Hinc in arca nullus legitur genitus, idque insinuat Moses dicens cap. x, 1: « Natiq; sunt eis filii post diluivium. » Et cap. xi, 10: « Sem genuit Arphaxad biennio post diluivium. » Rationem dat Damascenus, lib. IV Fidei, cap. xxv: « Separavit, ait, eos ab uxoribus, ut cum castitate pelagus et illud commune naufragium evitarent. » Quocirca Hebraei et S. Hieronymus in cap. XII Zacharia, ad illa verba: « Familia domus David seorsum, et mulieres eorum seorsum; » et Abulensis hic in cap. vii, et Remigius, cap. II Joelis ad illa: « Egre diator sponsus de cubili, » censent, toto tempore quo duravit diluivium et mundi universalis interitus, neque Noe, neque filios ejus operam dedisse generationi, quia tempus erat lugendi et orandi placandique Deum.

19. ET CUNCTIS ANIMANTIBUS BINA INDUCES. — De

terrestribus intellige; ergo etiam fera, ut leones, lupi, tigrides, bini inducti sunt in arcam, qui tunc cieures, quasi mites agnelli, Noe viro innocentissimo parebant, uti paruerunt Adamo in paradiso. Vide S. Chrysostomum, homil. 23. Nulli vero pisces ingressi sunt arcam, nec amphibia, quia hæc continentem sunt in aquis, quam in terra vivunt. Frustra ergo et temere aliqui apud Hugonem, lib. I De Arca morali, cap. III, amphibis his cavitates sive nidos assignant, quos pro his fecerit Noe forinsecus in extimo pariete arce, qui aquas spectabat; nam si quæ sunt amphibia, quæ tamdiu terra carere nequeunt, vel ob pabulum, vel in terra nocte stabulantur,

hominibus solis sermo est, qualibet conventiones aut pactiones mutuas significat; at ubi de Deo agitur, sæpe aut sponsiones aut leges notat. Hoc loco mera est sponsio. Ita Alloli ad h. l.

Leones quasi agnelli paruerunt in arca.

In arca non fuerunt pisces amphibia.

hæc intra arcam cum aliis recepta et servata sunt. Rursum in arcam non sunt inducta animalia, quæ ex putrefactione, uti mures, vermes, apes, scorpiones; nec ea que ex congressu diversarum specierum, uti mulus ex equa et asina, nascuntur. Terrestrium ergo animalium, quæ ingressa sunt arcam, Arias Montanus, lib. De Arca, numerat species 130, exceptis serpentibus. Jam Pererius serpentium et reptilium numerat species 23. Quare universim fuissent circiter 173 species animalium terrestrium in arca; in quibus sex tantum sunt majores equo, pauca æquales, multe minores etiam ovibus. Omnia hæc terrestria Pererius æquat 230 bobus, nec in arca plus loci occupasse censet, quam occupant 230 boves. Avium vix 130 species apud Gesnerum et Aldrovandum invenies; in quibus pauca majores sunt cyncis, plerique iis minores. Potuit ergo facile arca hæc omnia capere, cum ejus capacitas fuerit 430,000 cubitorum, ut dixi vers. 13.

20. INGREDIENTUR TECUM. — Hebraice יָבוֹאוּ אִתְּךָ, venit ad te, scilicet sponte sua, etiam si sint effera, idque vel Dei instinctu, vel angelorum impulsu, uti prius ad Adamum, cap. II, 19, eadem adducta sunt. Ita S. Augustinus, lib. XV De Civit., cap. XXVII. Non ergo animalia hæc quasi Noe, eaque adduxit ad arcam, ut vult Philo; non etiam ipsa animalia, invalescente diluivio, fugerunt enatando ad arcam, ut vult Hugo Victorinus apud Buteonem.

21. EX OMNIBUS ESCIS QUÆ MANDI POSSUNT. — Hebraice, « ex omni cibo qui comedi solet, » puta tam ab homine, quam a bestia. Unde verius est quod asserit Joannes Buteo (licet contrarium opinetur Pererius), scilicet animalia carnivora in arca, non herbas, sed carnes, a Noe arce ad hunc finem impositas, comedisse (leo enim, v. g., tantum carne vescitur).

Neque in manu.

Animantium terrestrium species sunt 173, quæ in arca tantum occupant loci, quæula a occupant 230 boves. Avium vix 130.

Hebraice יָבוֹאוּ אִתְּךָ, venit ad te, scilicet sponte sua, etiam si sint effera, idque vel Dei instinctu, vel angelorum impulsu, uti prius ad Adamum, cap. II, 19, eadem adducta sunt. Ita S. Augustinus, lib. XV De Civit., cap. XXVII.

Hebraice, « ex omni cibo qui comedi solet, » puta tam ab homine, quam a bestia.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Noe cum animantibus ingreditur arcam. Secundo, vers. 17, diluivium occupat terram per dies 150.

1. Dixitque Dominus ad eum: Ingredere tu, et omnis domus tua, in arcam: te enim vidi justum coram me in generatione hac. 2. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam: de animantibus vero immundis duo et duo, masculum et feminam. 3. Sed et de volatilibus cæli septena et septena, masculum et feminam: ut salvetur semen super faciem universæ terræ. 4. Adhuc enim, et post dies septem ego pluviam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus: et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ. 5. Fecit ergo Noe omnia quæ mandaverat ei Dominus. 6. Eratque sexcentorum annorum, quando diluivii aquæ inundaverunt super terram. 7. Et ingressus est Noe et filii ejus, uxor ejus, et uxores filiorum ejus cum eo, in arcam propter aquas diluivii. 8. De animantibus quoque mundis et immundis, et de volu-

cribus, et ex omni, quod movetur super terram, 9. duo et duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus et femina, sicut praeceperat Dominus Noe. 10. Cumque transissent septem dies, aquae diluvii inundaverunt super terram. 11. Anno sexcentesimo vita Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et cataractae caeli apertae sunt: 12. et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. 13. In articulo diei illius ingressus est Noe, et Sem, et Cham et Japhet, filii ejus, uxor illius, et tres uxores filiorum ejus cum eis, in arcam: 14. Ipsi et omne animal secundum genus suum, universaque jumenta in genere suo, et omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universae aves, omnesque volucres, 15. ingressae sunt ad Noe in arcam, bina et bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitae. 16. Et quae ingressa sunt, masculus et femina ex omni carne introierunt, sicut praeceperat ei Deus: et inclusit eum Dominus de foris. 17. Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram: et multiplicatae sunt aquae, et elevarunt arcam in sublime a terra. 18. Vehementer enim inundaverunt: et omnia repleverunt in superficie terrae: porro arca ferebatur super aquas. 19. Et aquae praevaluerunt nimis super terram: operitque sunt omnes montes excelsi sub universo caelo. 20. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. 21. Consumptaque est omnis caro quae movebatur super terram, vulnecum, animantium, bestiarum omniumque reptilium, quae reptant super terram: universi homines, 22. et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortua sunt. 23. Et delevit omnem substantiam, quae erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres caeli: et deleta sunt de terra; remansit autem solus Noe, et qui cum eo erant in arca. 24. Obtinueruntque aquae terram centum quinquaginta diebus.

Ver. 1. 1. OMNIS DOMUS TUA, — omnis progenies et familia tua.
 IN GENERATIONE HAC. — Inter homines hujus temporis.

Ver. 2. 2. EX OMNIBUS ANIMANTIBUS MUNDIS. — Theodoretus, Abulensis et Beda putant haec animalia per anticipationem vocari munda, quia scilicet per legem Mosis *Levit. xi.*, decernenda erant munda. Verum melius alii censent distinctionem animalium (etiam avium, ut habent Septuaginta) in munda et immunda, de qua *Levit. xi.*, fuisse quoque in lege naturae, idque instinctu Dei et traditione majorum; quod scilicet Deus tempore legis naturae, illa animalia quasi munda secreverit ad sua sacrificia, quae postea tempore legis Mosis, quasi munda Judaeis secreverit ad esum. Ita S. Chrysostomus, Didymus et Pererius.

SEPTENA ET SEPTENA, — id est quatuordecim, puta septem mares et septem feminas: quatuordecim enim ex mundis animalibus, quatuor vero ex immundis servata esse in arca censent Origenes, Justinus, Oleaster et Dionysius (1). Verum sic ingens fuisset animalium turba, quam capere non potuisset arca.

Melius ergo Josephus, S. Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Eucherius, Lyranus, Abulensis, Cajetanus et Pererius, sic exponunt: *Ex*

(1) Ita Rosenmullerus et Allioli, et vix aliter verba literaliter sumpta intelligi possunt.

mundis tolles septena et septena, id est septem tolles in arcam et singulis quae munda sunt, scilicet unum par ad speciei propagationem; secundum par ad sacrificium; tertium par ad esum post diluvium; denique septimum marem pro sacrificio offerendo, mox ut cessavit, Noe unum et singulis animalibus mundis, Deo in gratiarum actionem obtulit, cap. viii, 20: ita Pererius; ex immundis vero unum tantum par servatum est in arca, ad speciei propagationem.

Symbolice, S. Ambrosius, lib. *de Noe et arca*, cap. xii, ait septena assumi, « quia mundus et sacer est septimus numerus. Nulli enim miscetur, nec ab alio generatur, ideoque virgo dicitur, quia nihil ex se generat: itaque virilis habet sanctificationis gratiam. »

Ex hoc loco alisque argumentis, Pererius et Aldrovandus prolant, phœnicem non fuisse in arca, ac proinde nullum phœnicem esse aut fuisse in mundo: quia Scriptura hic docet ex singulis animalibus bina, scilicet marem et feminam, inducta esse in arcam: phœnix vero unus et solus dicitur esse in mundo. Et certe non est ullus, qui asseveret se vidisse phœnicem. Rursus, qui asserunt phœnicem, valde inter se de eo dissentiunt. Videtur ergo phœnix esse fabula, forte inde orta, quod *Aegyptii* Heliopoli sole, quasi avem, orientem et occidentem, pinxerint; hunc fecerunt et finxerunt esse phœ-

Quid respiciat et septena?

Phœnicem non esse in arca, ac proinde nullum phœnicem esse aut fuisse in mundo: quia Scriptura hic docet ex singulis animalibus bina, scilicet marem et feminam, inducta esse in arcam: phœnix vero unus et solus dicitur esse in mundo. Et certe non est ullus, qui asseveret se vidisse phœnicem. Rursus, qui asserunt phœnicem, valde inter se de eo dissentiunt. Videtur ergo phœnix esse fabula, forte inde orta, quod Aegyptii Heliopoli sole, quasi avem, orientem et occidentem, pinxerint; hunc fecerunt et finxerunt esse phœ-

niceum, cum tantum esset symbolum et hieroglyphicum solis, qui quasi phœnix solus est in mundo.

Hinc conjectura favet quod veteres, teste Lactantio et Claudiano, phœnicem dixerunt esse solis avem, quae eo oriente dulcissime caneret, eumque prona veneraretur. Quapropter Plinius, libro X, cap. ii, describens phœnicem, ait eum esse fabulam, additque: « Allatus est, ait, in Urbem phœnix, Claudii principis censura, anno Urbis DCCC, et in comitio propositus, sed quem falsum esse nemo dubitaret. » Unde mirum est Comimbrienses, lib. II *de Calo*, cap. iii, *quest. 6*, art. 4, asserere esse phœnicem, idque tum ex aliis, tum ex hisce Plinii verbis confirmare: Plinius enim phœnicem habet pro fabula; alii veteres qui phœnicem astrunt, non ex sua sententia, sed ex praeceptorum scriptis, sive veris, sive fabulosis aut symbolicis eum astrunt. Verum Comimbrienses addunt, phœnicem non esse unum, sed plures; nec seipsum resciscitare, sed more communi generari; quare alium ponunt phœnicem ab eo qui a veteribus ponitur, quasi symbolum et typum resurrectionis: et tales phœnices se habere Abyssini aliique jactitant. Nam Comimbrienses aliique omnes jam consentiunt nullum esse talem phœnicem, qui unicuique sit, qui que moriens renascatur, qualem veteres descriperunt. Nisi ergo questio sit de nomine, dicendum est phœnicem non esse, nec fuisse in mundo.

Ver. 7. 7. ET INGRESSUS EST NOE ET FILII EJUS, UXOR EJUS, ET UXORES FILIORUM EJUS. — Nota: Octo tantum homines in arcam ingressi et servati sunt, regnante diluvio: ex his octo, septem servati sunt propter Noe, Henoch interim ex paradiso aquis obruto, alio est translatus.

Berosus Annii uxorem Noe Tyream vocat; uxores vero filiorum Noe vocat Pandoram, Noelam et Noeglam. Verum viri docti valde dubitant an Berosus quem Annius edidit, sit verus et priscus ille Chaldaeorum Berosus; Gnostici, teste Epiphonio, *her. 26*, uxorem Noe vocarunt Noria: arguit eos Epiphanius, eamque asserit vocatam esse Barthenon. Rursus unam ex hisce uxoriibus fuisse Sibyllam Babylo-niam, fatetur ipsamet, lib. I *Oracul. Sibyll.*, post principium, ubi ipsa se cum marito in arca fuisse profitetur. Sed viri docti id suspectum habent, quasi versibus illis additum sit ab aliquo sciolo, ad antiquitatem et auctoritatem illi oraculorum libro conciliandam: nam quod ibidem ipsa addit, arcam subdisse, non in montibus Armeniae, sed Phrygiae, manifeste repugnat Mose cap. seq., vers. 4. Scio aliquos eruditos haec symbolice accipere, atque opinari Sibyllas veras et primaevas non fuisse feminas prophetissas, sed tantum fuisse praeceam Hebraeorum Kabulam, sive Kibyllam (unde Sibyllae nomen), id est, doctrinam a patribus traditione acceptam: quasi avem, quod *Kabal* enim hebraice significat accipere, recipere, excipere ab alio: inde Kabula

An Sibylla fuerit in arca?

Sibyllam esse Kabulam, sive Kibyllam (unde Sibyllae nomen), id est, doctrinam a patribus traditione acceptam: quasi avem, quod Kabal enim hebraice significat accipere, recipere, excipere ab alio: inde Kabula

vel Sibylla est *καπαδοκία*, sive patrum traditio, quam Noe a priori saeculo acceptam posteris post diluvium tradidit: perinde ac Lactantius lib. I *Institut.* cap. vi, ex Varrone censet Sibyllam dictam esse quasi *θεσσαλον*, eo quod consilia Dei denuntiaret. Veteres enim deos *αἰών*, non *θεοί*, et consilium, non *βουλή*, sed *βούτις*, appellabant. Si ergo Sibylla est Kabula, vel *θεσσαλον*, utique ipsa cum Noe, et in Noe fuit in arca. Verum de Sibyllis alibi disputandum est.

11. ANNO SEXCENTESIMO VITAE NOE — plane *Ver. 11.* exacto, et 601 inchoato per 40 dies, inquit Pererius; verum contrarium est veritas, scilicet anno 600 Noe inchoato, coepisse diluvium: nam diluvium duravit totum annum, et anno 601 Noe, mense secundo, cessavit, ut patet cap. vii, vers. 13. Rursus Noe post diluvium vixit 350 annos; vixit autem universim annos 950. Quod si diluvium existisset anno 601 Noe, cum illud duravit annum integrum, sequeretur Noe vixisse annos 951, quod falsum est. Porro sexcentesimo anno factum est diluvium, inquit S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. xiv: « Quia sexto die Adam creatus est. Idem numerus par, et in auctore est Adamo, et in reparatione (Noe) servatur; quia fons sexagesimi et sexcentissimi, sextus est numerus. »

Nota hic constantiam fidei in Noe; nam centum annis in fide diluvii persistit, scilicet ab anno 300 ad 600, illudque constanter predicavit, esto ab omnibus etiam cognatis rideretur, quasi qui vano timore correptus, stulto labore in arca fabrica tot annos desudaret; sed hi hoc anarismum in fletum, et seram poenitentiam commutarunt. Noe similis fuit Mathathias, lib. I *Machab.* ii, vers. 19.

MENSE SECUNDO, — qui hebraice dicitur Iar, et fere respondet nostro maio, saltem quoad posteriorem sui partem: primus enim Hebraeorum et sacre Scripturae mensis est Nisan, qui partim martio, partim aprili respondet. In maio ergo coepit diluvium, idque ut ostenderet Deus causam diluvii non naturalem fuisse ex pluvia et imbris hiemalibus, sed speciali providentia Dei illud effectum esse, sub initium aetatis, cum inchoantur calores et siccitates. Ut igitur major esset impiorum dolor, Deus eo perdidit tempore amoenissimo, quo nil nisi letum sibi pollicebantur. « Edebant et bibebant, » ut ait Christus *Lucæ xvii*, 27; et S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. xiv: « Tunc, ait, fecit diluvium, quando dolor eorum major foret, qui in sua abundantia puniebantur, tunc ultio terribilior tanquam dicentis Dei, etc. Pereant cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia. In suis divitiis consumatur homo, cum sua dote moriatur. » Idem iudicium contigit diviti Evangelico qui, multis bonis collectis, pollicebatur sibi deinceps lautam vitam; sed eadem nocte perit. Idem contigit Nabuchodonosori regi; idem Aman; idem Herodi, *Actor.* cap. xii. Hoc est quod ait Christus: « Quia hora non putatis,

Diluvium coepit in maio, cur?

Filius hominis veniet; et Paulus: « Cum dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. » Nemo igitur in prosperitate mundana confidat. « Spes enim impij quasi lanugo quæ a vento tollitur, » *Sep.* v. 15. Josephus tamen incipiens annum a septembri, mensem hunc secundum vocat Marchesona (sic enim legendum est, non autem Marsesona), qui respondet nostro octobri, cum abundant imbres; sed prius quod dixi verius est.

Denique Antonius Fonseca in *Annot. ad Cajetanum*, in cap. vii *Gen.*, et Torriellus putant mensem ingressus et exitus Noe de area fuisse januarium, quem ideo dicunt a primis Gentilibus postmodum ipsi Noe fuisse consecratum, et ab eo denominatum: siquidem Noe ab ipsis Janus nuncupabatur; quem idcirco bifrontem fixerunt, quod Noe videt annum et seculum tam vetus quam novum. Verum non video solidum hujus opinionis fundamentum; nec enim januarium apud Hebræos fuit mensis secundus, sive annum sacrum, sive vulgarem et civilem accipias: licet id subtiliter ostendere conetur Torriellus, pag. 107 (1).

SEPTIMO DECIMO DIE MENSIS. — Hunc diem fuisse Dominicum asserit Cedrenus: die enim Dominico tam expisse, quam desisse, et finem accepisse diluvium, tradit ipse et alii nonnulli, penes quod est fides.

RUPTI FONTES. — Hebraice בְּקַיִת נִבְּקוּ *nibkeu*, id est, impetu ac vi aquarum discessi, disseci, diffracti, disrupti sunt.

OMNES FONTES. — omnes scaturigines, omnes rivi, omnia officina, omnes venæ, omnes aqueductus ex abisso prodeuntes: ita ut aqua abyssi jam suis rivis, venis, alveis et aqueductibus coopereri non posset, sed eos perumpens omnia inundaret, faceretque quasi unum mare per totam terram: unde cessante diluvio, reducte sunt aquæ in suam hanc abyssum, ibique conclusæ, cum, ut ait Scriptura, « clausi sunt fontes abyssi »

ABYSSI MAGNE. — id est, abyssorum multarum. Sub terra enim sunt multæ abyssi, id est, voragine aquarum. Unde pro magna hebraice est רַבָּה *rabba*, id est, multa. Ita Pererius et Delrio. Verum cum hebraice sit, non תְּהוֹמוֹת *theomot*, id est abyssi, sed תְּהוֹמוֹת *theom*, id est abyssus, et *rabba*, id est multa, per enallagen hebraicæ familiaræ, idem sit, quod magna, ut verit Nos- ter: verius censent alii abyssum magnam hic vocari barathram, sive voragine illam subterraneam, maximam et profundissimam, quæ tum ex aquis in ea initio mundi a Deo reconditis, tum

Abys-
sus est
vora-
gine
aquarum
sub
terra
et
in
mari.

(1) Mense secundo, id est, novembri, ex Cappelli computatione in *Chronologia sacra*. Ante exitum ex Ægypto Israelite annum incipiebant ab octobri mense, quoniam seminarentur frumenta; hic autem mensis, postea ab eis Tiberi vocatus, incipiebant 23 septembris, ita ut decimus septimus dies mensis Hebræorum secundi fuerit 6 novembris.

ex mari, aquis est plenissima; quam multi putant esse matricem omnium fluminum, fontium et aquarum dulcium, de qua dixi cap. 1, vers. 9. Hæc enim hebraice vocatur *theom*, tam hic quam *Deuteronom.* xxxiii, 13, ubi hebraice nuncupatur, *theom robetet tachat*, id est, abyssus cubans inferne: quod Noster vertit abyssum subjacentem; talem enim abyssum sive voragine aquarum subterraneam esse, tum experientia multiplici, tum variis argumentis, tum auctoritate Platonis, S. Hieronymi, S. Basilii, Damasceni, Philonis, Plinii, Isidori, S. Thomæ, Bernardi et aliorum, quin et S. Scripture locis jam citatis, docent Comimbrienses tractatu 9 in *Meteoro*, cap. ix, et Valerius *Sacra Philosophia* cap. lxxiii. Licet enim sub terra multe sint aquarum voragine, tamen hæc omnes una censetur esse subterranea vorago, sive abyssus, præsertim quia verisimile est omnes invicem per venas et meatus conjungi, et in primaria ac majori quâpiam voragine quasi matrice convenire. Ex hac ergo abisso erumpentes aquæ largissimæ, instar fluminum, imo marium, terram operuerunt: omne enim mare, per venas, cum abisso jam dicta conjungitur et unitur; unde per abyssum hic, maria quoque intelliguntur: abyssus enim est vorago aquarum, tam quæ terra, quam quæ mari continentur.

Dices: Ergo tum in mari et abisso fuit vacuum. Respondeo non fuisse, partim quia in abisso loco aquæ subintravit aer; partim quia Deus tum rarefecit aquas maris et abyssi, quo factum est ut illa majorem locum exposcerent, seque non tantum per alveos suos, sed et per terram diffunderent.

Nota: *rupti sunt omnes fontes*, q. d. Tanta fuit aquæ, ex abisso et mari erumpentis, vis et copia, ut omnes suos fontes, limites et aggeres pervaderet, atque per latera quaquaversum se effunderet, totamque terram obrueret; perinde ut faciunt torrentes terra conclusi, dum vi aquarum suos exitus, alveos et aggeres, quibus quasi carceribus concludebantur, dilatant, diffringunt, rumpunt, et per latera undequaque erumpunt omniaque inundant.

ET CATARACTE COELI APERTE SUNT. — a Cataractæ, aiunt Eugubinus et Oleaster, sunt foramina quæ Deus fecit in celo, sive firmamento, ut per ea aquæ quæ supra firmamentum sunt, defluerent: propter diluvium enim aquas has ibidem fuisse repositas a Deo, initio mundi, censent ipsi; sed hoc modo findi debuisset, non tantum firmamentum, sed et omnes cæli planetarum, quod est improbable.

Secundo, Petrus de Aliaco, et alii quos citat Pererius, pag. 232, per cataractas accipiunt constellationes, quarum vi naturali factum sit diluvium; sed hoc repligat huic versui et vers. 4.

Dico ergo, cataractæ cæli hic per catachresin vocantur nubes, ipsaque secunda aeris regio, multis in partes plagasque divisa, quæ vapores

An
fuerit
vacuum
in
abyssu?

Que
cata-
ractæ
cæli?
Prima
scaturigine

Secundo
et
vora-
gine
sub
ter-
ra.

et aquas intra se quasi repagulis et cataractis quibusdam continet et coerct, q. d. Nubes, ipsaque secunda aeris regio, diluvio tanto impetu, aquarum vim maximam in terram deiecit, ut totus aer videretur rumpi in vastissima foramina, per quæ non tam guttas et pluvias, quam densissimos imbres, instar rivorum et fluviorum effudit, ita ut aer jam non aer, sed continuus quidam imber, imo mare esse videretur. Ita S. Chrysostomus, Rupertus et Pererius; cataractæ enim nuncupantur a καταρραξη, id est, præcepit deorsum ruo. Unde ruptis his cataractis subdit Moses: « Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus. »

Duplex
aeris di-
lucii.

Nota: Duplex fuit causa diluvii, una supera, puta pluvia erumpens ex cataractis cæli; altera infera, puta eruptio et inundatio abyssi, ita ut terra media utriusque invasa et obruta fuerit aquis.

Sane difficile est pervidere unde tanta aquarum copia, quæ totam terram operiret, imo altissimos montes quidecim cubitis superaret, prodierit. Constat enim montes nonnullos ad quatuor miliaria Italica, sive ad quatuor millia passuum elevari, ac supra terram eminare: quanta est altitudo Alpium gradatim ascendentium. Quod si ubique terrarum æque altæ fuerint aquæ, ut videtur (idque significat Scriptura cap. vii, vers. 3, ubi ait arcam Noe in aquis diluvii fluitantem, iis sensim descentibus, tandem septimo mense quievise super montes Armeniæ, ac decimo mense aliorum cacumina montium apparuisse: ergo illuc usque aquis fuerant oblecta), sane ingens fuit peripheria aquarum, quæ facile in se quatuor maria et amplius completeretur, uti patet geometrice spatium hoc expendenti et metienti: quo enim alius scanditur, eo peripheriæ capacitas magis dilatatur, ac geometrica progressione gradatim exerescit in quantitate ingentem. Mare enim longe minus est terra, ac videtur non multo majus esse montibus et collibus; in horum enim locum successit. Deus enim e terra prius rotunda montes elevavit, ut per hoc in ea faceret scrobes et fossas, in quas induceret aquas, quæ prius terram operiebant, ut terra aquis vacua posset habitari. Igitur mare parum contulit ad tantum diluvium. Rursum vapores e terra elevati atque aer non videtur potuisse reliquam conferre: nam ut ex vapore et aere fiat aqua, debet magna fieri aeris condensatio. Decem enim uncias aeris, imo longe plures, non efficiunt unam unciam aquæ. Quare etiamsi major pars aeris fuisset conversa in aquam, vix videretur sufficere ad tantam aquarum molem præstandam, etiamsi eas a Deo per rarefactionem extensas et expansas esse asseveres, præsertim quia si valde rarefactæ fuissent aquæ, fuissent utique valde subtiles, leves et aeris: unde non potuisset eis innatare, et supernatare arca tam gravis et onusta. Adde, tunc loco aeris in

aquam versi et densati debuissent alia corpora succedere, aut ingens relinquit vacuum, quod natura abhorret; aut certe nova aqua, vel novus aer a Deo creati, et post diluvium annihilari, quod etiam absonum videtur. Quare nonnulli viri docti dicunt se rationibus jam allatis cogi ut fateantur cum Oleastro et Eugubino aquas, quæ diluvium causerunt, esse illas quæ primitus super cælos in maxima copia a Deo ad hoc repositæ sunt, ideoque Den. in firmamento fecisse cataractas sive meatus, per quos hæc aquæ descenderent: hoc enim plana Mosis narratio exigere videtur. Cum enim aquas veras ad diluvium opportunas in celo reperimus, tot tantasque aeris commutationes vestigare non est opus. Adde, multi veteres et moderni censent cælos non esse solidos, sed liquidos et fissiles instar aeris vel ætheris: quod si concedas, facile per eos descendere poterunt aquæ. In locum vero aquarum sperarum ne esset vacuum, vel successit aer et æther, qui cum aquis superis videtur commutasse locum tempore diluvii; vel certe aquas reliquas, quæ super cælos tempore diluvii manserunt, Deus rarefecit, ut locum aquarum sociarum, quæ descendebant, implerent. Porro, acceleravit, inquit, Deus descensum aquarum singulari impulsu; nam si naturali motu descendissent, impendissent in descensu ex loco tam alto et remoto, plusquam centum annos, uti ostendi cap. 1, vers. 14. Favet huic sententiæ S. Petrus, *epistola* II, cap. iii, vers. 3, ubi si accurate verba expendas, videtur dicere aquis diluvii periisse mundum, id est, cælum et terram, sicut idem peribit in fine sui igne conflagrationis. Igitur sicut non tantum elementa, sed ipsimet cæli, ut ipse ait vers. 12, hoc igne « ardentes solventur; » sic pariter videntur idem in diluvio aquis fissi et obruti, ita ut quodammodo periisse censeri possint. Hoc enim plena S. Petri antithesis exigere videtur; unde vers. 3, ait: « Quod cæli erant prius et terra, » etc., « per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perit; cæli autem qui nunc sunt, » etc., « igni reservati, » q. d. Mundus et cæli priores periire diluvio: cæli autem, qui post diluvium a Deo sunt restituti, et nunc exstant, simili modo reservantur igni, ut eo conflagrent et pereant; quocirca subdit vers. 13: « Novos vero cælos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus. » Accedit quod Esdras, lib. IV, cap. vi, vers. 41, firmamentum vocat spiritum, id est, ærem vel ætherem: hunc enim ipse vocat spiritum, ut patet vers. 39. Ita ipsi, qui posito hoc principio, quod cæli sint liquidi vel fissiles, non male philosophantur, ac facilem clarumque tantarum, quantæ ad diluvium requirebantur, aquarum dant causam.

Verum, quia Aristoteles et Philosophi hoc principium pernegant, et quia aquæ ille supra cælos subtiles sunt et cælestes, ac longissime remotæ a terra: idcirco respondeo et dico, primo,

solum mare tantum diluvium causare non potuit: diluvium enim longe majus fuit toto mari. Mare enim respectu terræ est exiguum: nam cum a terra separatum est, successit duntaxat in locum fossarum et serobum, e quibus elevati sunt montes; quare fere eadem quantitate montes adæquat, uti jam dictum est. Rursum nautæ qui bolide profunditatem maris explorarunt, asserunt mare, in sui medio, ubi profundissimum est, communiter non esse profundius dimidio milliari Italico, hoc est, quingentis passibus: cum semidiameter terræ sit trium milliium milliurum, uti passim docent Mathematici. Quid est dimidium milliare, etiam in suprema, ideoque amplissima superficie terræ, si comparatur cum tribus milliibus milliurum, quæ est mensura profunditatis terræ a superficie usque ad centrum? Insuper mare vix operit dimidiam superficiem terræ, nec ullos montes; imo Esdras, lib. IV, cap. VI, vers. 42, ait aquas et mare occupare septimam tantum terræ partem. Quare his ad calculum subductis, sequitur mare vix esse millesimam partem terræ: spatium autem ad quod diluvium excrevit super terram, continuit ducentessimam et trigessimam octavam partem terræ, uti mox dicam; qui numerus continet millenarium quater et amplius, quo fit ut ad spatium hoc ad quod diluvium excrevit, aquis implendum, quatuor maria non sufficissent, nisi diæc mare ad quadruplum solito magis a Deo fuisse rarefactum.

Dico secundo: Causa diluvii fuere vapores e globo terræ et maris rursus elevati ibique in pluviam resoluti. Pro quo nota: Si ponas diluvium ad quinque milliaria Italica super terram excrevisse: operuit enim altissimos montes ad 43 cubitos; montes autem aliqui ad quatuor milliaria supra terram attolluntur. Ponamus ergo ad faciliorem calculum, diluvium ad quinque milliaria super terram excrevisse, dico spatium hoc quinque milliurum non esse nisi ducentessimam trigessimam octavam partem globi terræ, uti perit Mathematici subductis rationibus Romæ mihi ostenderunt. Jam facile fuit Deo 238 partem terræ, cui immixtum est mare, in vapores vertere, eosque in pluvias convertere: hi ergo totum hoc quinque milliurum spatium impressent. Adde aquam decuplo rariorem esse terram: quare dictum numerum 238 portionis terræ, sufficientis ad implendum spatium quinque milliurum jam recensatum, multiplicandum esse per decem; quod si facias, convenient 2380: quare 2380 pars terræ resoluta in vapores et pluvias sufficit ad implendum hoc spatium quinque milliurum. Quid est 2380 pars terræ ad totum terræ globum? In locum vero hujus portionis terræ in vapores abeuntis, successit aer et aqua, per rarefactionem dilatata, et solito magis expansa.

Denique potuit Deus pluvia pari modo rarefacere et extendere: quo dato, multo adhuc minor

terre et pluviarum portio, ad spatium hoc implendum sufficit. Probabile quoque est Deum partem aeris in pluviam et aquam convertisse. Tria ergo elementa, scilicet aer, aqua et terra, ad tantum diluvium causandum concurrerunt. Locum S. Petri explicui in Commentariis epistolæ ejusdem.

42. QUADRAGINTA DIEBUS. — Pluvie hujus tam continue causa fuit, assidua vaporum multiplicatio et conversio in aquas; Deum enim tunc vapores, aerem aliisque in aquas resolvebat continuo per 40 dies, easque misericorditer, non simul, sed sensim depluit, ut interim terrentur et penitent homines, ait S. Chrysostomus.

Nota: Putat Oleaster non tantum per dies hos 40, sed etiam per 130 sequentes, continuo pluisse. Verum Scriptura tantum asserit 40 diebus pluisse, quo satis innuit, post 40 dies cessasse pluviam. Ita Abulensis et Pererius.

43. IN ARTICULO (in puncto diei illius; hebraice est **בְּיַמֵּי הַיָּמִים** *betsem haïm*, in osse diei, id est, in subsistentia (ossa enim dant subsistentiam firmam corpori) illius diei, puta illo die 17 mensis secundi, anni 600 Noe) ingressus est. — Scilicet ultimate et complete, Noe cum omnibus in arcam. Notandum enim ex vers. 1, 4 et 7, Noe in arcam ingredi cepisse, septem diebus ante diluvium, ac per eos dies sensim cibaria et animalia induxisse in arcam, ita ut ipso die diluvii, qui fuit decimus septimus mensis secundi, omnia, et omnes perfecte essent ingressi. Tæ ergo ingressus, significat hic actum non inchoatum, sed completum et perfectum. Voluit enim Dei clementia, hisce septem diebus, per apparatus quem faciebat Noe, perque continuam inductionem animalium et cibarium in arcam, homines monere de instanti diluvio, et commovere ad penitentiam. Ita S. Ambrosius, Tostatus et Pererius.

14. UNIVERSE AVES, OMNESQUE VOLUCRES. — Aves sunt, quæ pennas habent: volucres quæ alas, sive cæ pennæ sint, sive membranulæ, quales habet vespertilio.

16. INCLUSIT ENIM DOMINUS DE FORIS, — scilicet, extrinsecus ostium arce, contra aquas, bitumine oblinendo, quod Noe, utpote arca jam inclusus, facere non poterat. Unde Hebræa habent, *clausit Dominus pro eo*; vel, ut Vatablus vult, *post eum*. Vide quantam curam et providentiam Deus habet Noe et suorum.

17. FACTUMQUE EST DILUVIUM. — Tropologicè S. Ambrosius, lib. *De Noe*, xiii: « Diluvii species, ait, typos est purgationis animæ nostræ. Itaque cum mens nostra se a corporalibus mundi hujus illecebris, quibus ante delectabatur, abluerit, bonis quoque cogitationibus veteris colluviem cupiditatis absterget, tanquam prioribus absorbens aquis turbidorum prius amaritudinem fluentiorum. »

19. AQUÆ PRÆVALUERUNT NIVIS, — ita ut domos

et urbes everterent, arbores eradicarent, omnia que sata et germina solo stererent; nimirum tunc, ut canit Ovidius:

Omnia pontus erant, et deerant littora ponto.

Nota hic rursus constantiam fidei, spei et patientiæ in Noe. Erat enim in tentationibus gravissimis, ut mirum sit eum non desperasse: primo enim relinquere cogebatur domum, amicos et omnia, imo eorum inferum videre; secundo, quasi in carcere et tenebris, fetoreque animalium clausus erat; tertio, terrore quæiebatur videns tanquam Dei iram, apasque undique irruentes, imo nil nisi presentem mortem aspiciens. Si enim in mare et fluvibus timent homines, quantum timuit Noe? quinto, timere poterat ne et ipsum, ob culpam aliquam, relinqueret Deus; quinto, nesciebat quamdiu tempestas duraret; sexto, non videbat exitum: clausa enim erat arca; septimo, cruciabat eum interitus omnium hominum et animalium; octavo, laborabat ut suos in arca consolaretur et confortaret, ne desperarent. Quis in tantis tentationibus non succubisset, ac mori præreligisset? verum omnia hæc sustinuit et superavit Noe, uti Deo nixus, ejusque promissioni et providentiæ, quoniam nullum erat aliud auxilium aut consilium. Ita suos exeret et perficit Deus, dum omnia fulera eis admittit, ut totos se Deo committant. Discamus et nos in arctis quibusque nos Deo unire in eamque maxime sperare. Dominus enim est qui suos « mortificat et vivificat: deducit ad inferos, et reducit. » Quid mirum ergo, si Noe a fide ita laudet Paulus, *Hebr. xi, 7, et Ecclesiasticus*, cap. XLIV, 17.

20. QUINDECIM CUBITIS ALTIOR FUIT AQUA SUPER MONTES. — Ergo pertigit diluvium usque ad inimum mediæ regionis aeris: eo enim pertingit Olympus et alii montes celsissimi; ergo diluvium paradisi quoque obruit et destruxit. Putant aliqui, quod tantumdem, puta quindecim cubitis supra terram et montes exereset ignis conflagrationis in fine mundi, illudque innuit S. Augustinus, lib. III *De Genes. ad litt.*, cap. II, idque probat ex II *Petr.* cap. II, vers. 5 et 7. Falsum ergo est, quod Cajetanus censuit, montes qui hic aquis operi dicuntur, esse illos, qui sunt sub celo aereo, non autem illos, qui superant mediæ aeris regionem, quales ait ipse esse Olympum et Atlantem: hoc enim repugnat S. Scripturæ, hic, que omnes terre montes diluvio superatos et obrutos asseverat, ut recte advertit S. Augustinus, lib. XV *De Civitate xxvii*. Fundamentum quoque Cajetani, scilicet quod aliqui montes superent mediæ regionem aeris, sive locum pluvie et nivis, falsum est; nam cacumen Atlantis nivibus tegi compertum est.

Nota: Quindecim cubitis aqua exessit omnes montes, ne gigantes longissimi, aut aliud animal vastissimum, in altissimi montis vertice servari posset. Quare quod tradunt Judæi, Og regem

Basan fuisse ex gigantibus iis, de quibus dictum est cap. VI, quodque in altissimo monte consistens evaserit diluvium, idque probant, ex eo, quod dicitur *Deut. III, 10*: « Solus Og restiterat de stirpe gigantum, » fabella est, sic enim Og fuisse 800 annorum: tot enim anni sunt a diluvio, usque ad ingressum Hebræorum in Chanaan, quando ab eis occisus est Og, *Deuter. III, 3*.

Quæres, quid fecerit Noe cum suis toto tempore in arca?

Respondet Tornielius eum commiseratum esse cæteris omnibus pereuntibus, sibi congratulatum esse de sua salute in arca, ac Deo gratias egisse; secundo, vacasse precibus et contemplationi; tertio, se et animalia cuncta curasse, dando eis cibum et potum, sordes evperendo in sentina, indeque per antliam vel situlas extollendo, et extra arcam per fenestellas, quæ superius erant, ejiciendo; denique rem omnem arce administrasse.

22. ET CUNCTA IN QUIBUS SPIRACULUM VITÆ EST TERRA, MORTUA SUNT. — Hebræa ad verbum sic habent, *et omne cuius flatus spiritus* (id est, flatus respirationis sive respiciens) *vita in naribus ejus ex omnibus que sunt in arida, mortua sunt*, hoc est, omnia omnino in terra respirantia mortua sunt. Unde Tigurina vertit, *et quicquid erat in cuius naribus spirabat flatus vitæ, de omnibus que in siccio debebant, mortua sunt*; Vatablus, *jam interierant*. Addit *in siccio* ob pisces, qui in humido, puta in aqua, versantur: hi enim mansere vivi et supersites. Pagninus: « Omnia in quorum facie erat anhelitus vitæ, ex omnibus que erant in siccio, mortua sunt. » Septuaginta vero sic: « Et omnia quæcumque habebant spiritum vitæ, et omnis qui erat super aridum, mortuus est. » Chaldeus: « Omnia in quibus est spiraculum spiritus vitæ in naribus suis, ex omnibus que sunt in arida, mortua sunt. »

24. OBTINERUNTQUE AQUÆ TERRAM CENTUM QUINQUAGINTA DIEBUS. — Nota hos 130 dies non esse computandos seorsim post 40 dies pluvie de quibus vers. 42 (ut voluit Josephus, Chrysostomus, Tostatus, Cajetanus), sed eos includere; nam a 17 die mensis secundi, quo cepit pluvia et diluvium, usque ad diem 27 mensis septimi, quando imminuitis aquis arca quæviit in montibus Armenia, ut habetur cap. viii, 4, tantum interfluunt dies 160; ergo primis 40 diebus ruit pluvia, qua terra et montes omnes ad quindecim cubitos fuerunt obruti: deinde per sequentes centum et decem dies, mansit aqua in hoc statu et altitudine, post quo cepit decrescere, ita ut decimo post die arca quæsceret in montibus Armenia: tot enim universim numerantur dies, a 17 die mensis secundi, quo cepit diluvium, usque ad diem 27 mensis septimi, quo quæviit arca, nimirum dies 160, quos eo modo, quo jam dixi, partiri et distribuere oportet. Ita Lyranus, Hugo, Pererius.

Horrendum fuit hoc diluvii spectaculum: sen-

Og gentem evaserit diluvium fabulatur Judæi.

Quid esset Noe in arca?

Vers. 22.

Vers. 24.

An omnes montes obruti aquis?

Vers. 19.

Horror
diluvii.

sim crescentibus aquis, circumersabant per domos tremulae matres cum parvulis, nescientes quo pergerent; surgebant alii pavidi de mensa, et effugium querebant; e cubili exliebant sponsus et sponsa, huc ille, illuc illa fugiebat, ut salientem evaderet undam; vidisses quosdam repente superiora domus, alios etiam tectorum caecumina conscendere; nonnullos item excelsarum arborum ramos scandere, alios vero cum festinatione ad collium montiumque juga se propripere, sed frustra: nemo enim hanc aquarum vim et impetum evadere potuit; ubique pavor, ubique tremor. O quam dolebant tunc, quod Noe haec comminante non audierant, sed iriserant! O Noe, quam sapuisti, inquiebat, o nos dementes, quam insani, quam stolidi fuimus! o si jam liceret arcam ingredi, quam euperemus etiam tota vita in ea includi! potuimus aliquando, sed nolimus; nunc volumus, sed non possumus. Sero sapiunt Phryges. Ex hisce et similibus vides, quam horribile fuerit diluvium; quod ut magis videas et apprehendas, imaginare te in vertice montis consistere, ac videre aquas totam terram inundantes, omnia sternentes, homines et animalia sorbentes, arces et oppida evertentes, excreascentes, et montes omnes superantes, itaque ad te tandem in vertice consistentem pertingentes, teque pariter haurientes et mergentes. Hinc discas quid sit peccatum, quod hanc cladem toti orbi induxit; et si tale fuit diluvium aquae in terra,

quale erit diluvium ignis in gehenna? Cogita quam terribilis sit Deus in consiliis suis super filios hominum, quam terribilis sit ejus justitia et vindicta. «Elevaverunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.» Quid ergo erit in die iudicii, qui similiter omnes ex improvviso obruet? Audite Christum ipsissimam veritatem *Matth. cap. xxiv. 37*: «Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubescentes, et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis.»

«Tunc, inquit ex S. Bernardo Hugo Cardinalis, anguste erunt viae undique reprobis. Superius erit iudex iratus; subtus, horrendum chaos; a dextris, peccata acusantia; a sinistris, infinita demonia ad supplicium trahentia; intus, urens conscientia; foris, mundus ardens. Miser peccator deprehensus, quo effugies? latere erit impossibile, apparere intolerabile. Si quaeris, quis te accusabit? dico, quod totus mundus: quia, offenso Creatore, omnis creatura odio habet offendentem, puta peccatorem (1).»

(1) Circa diluvium, omnesque eo spectantes quaestiones, vid. Meignan, op. cit. p. 143; Desdonis, *Soirées*, etc. 4e série; Wiseman, *Discours*, etc., Disc. 3, II. *Parte*, imprimis autem pag. 288 et 299 edit. Migne.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minuitur sensim, et tandem finitur diluvium: idque vers. 8, ex columba redeunte cum ramo olivæ, dicitur Noe. Hinc, vers. 16, cum omnibus suis ex arca egreditur. Denique, vers. 20, offert sacrificium Deo, qui per illud placatus, promittit deinceps non fore diluvium.

1. Recordatus autem Deus Noe, cunctorumque animantium, et omnium jumentorum, quae erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, et imminuta sunt aquae. 2. Et clausi sunt fontes abyssi, et cataractae caeli: et prohibita sunt pluviae de caelo. 3. Reversaeque sunt aquae de terra euntes et redeuntes: et coeperunt minui post centum quinquaginta dies. 4. Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniae. 5. At vero aquae ibant et decresebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense, prima die mensis, apparuerunt caecumina montium. 6. Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcae, quam fecerat, dimisit corvum, 7. qui egrediebatur, et non revertebatur, donec sicarentur aquae super terram. 8. Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam decessent aquae super faciem terrae. 9. Quae cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam: aqua enim erant super universam terram: extenditque manum, et apprehensam intulit in arcam. 10. Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursus dimisit columbam ex arca. 11. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo; intel-

lexit ergo Noe quod cessasset aquae super terram. 12. Expectavitque nihilominus septem alios dies: et emisit columbam, quae non est reversa ultra ad eum. 13. Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminuta sunt aquae super terram: et aperiens Noe tectum arcae, aspexit viditque quod exsiccata esset superficies terrae. 14. Mense secundo, septimo et vigesimo die mensis, arefacta est terra. 15. Locutus est autem Deus ad Noe dicens: 16. Egredere de arca, tu et uxor tua, filii tui et uxores filiorum tuorum tecum. 17. Cuncta animantia quae sunt apud te ex omni carne, et filii ejus, uxor illius et uxores filiorum ejus cum eo. 19. Sed et omnia animantia, jumenta et reptilia, quae reptant super terram, educ tecum, et ingredimini super terram: crescete et multiplicamini super eam. 18. Egressus est ergo Noe, et filii ejus, uxor illius et uxores filiorum ejus cum eo. 19. Sed et omnia animantia, jumenta et reptilia, quae reptant super terram, secundum genus suum, egressa sunt de arca. 20. Aedificavit autem Noe altare Domino: et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. 21. Oloratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait: Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines; sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur ultra perentiam omnem animam viventem sicut feci. 22. Cunctis diebus terrae, sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies, non requiescent.

Vers. 1. 1. RECORDATUS AUTEM DEUS NOE. — Quasi Deus oblitus fuerit Noe, cum eum in illa horribili aquarum abisso cum arca fluitantem reliquit, hic fiende diluvio ejus recordari dicitur, quia eum inde jam liberat, ait Theodoretus.

Audivimus cap. preced. interitum omnium impiorum: hic audimus consolationem piorum: Sicut ergo prius ostendit gaudium impiorum inluctum fuisse conversum: ita hic declarat piorum tristitiam in gaudium esse conversam, juxta illud Tobias: «hoc pro certo habet omnis qui colit te, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.»

ADDUXIT SPIRITUM, — id est, Spiritum Sanctum, inquit Theodoretus et S. Ambrosius. *Secundo*, Rupertus per spiritum accipit solem, qui suo ardore siccat aquas. Verum dico, spiritum, id est, ventum validum, qui vi, non tam naturali (quomodo enim id fieret in tantis aquis, tam brevi tempore?), quam divina, partim siccaret et consumeret aquas, partim eas densaret, et cogeret in abyssum et alveum unde eruperant: quo facto eas ibi reclusit, clausis abyssi fontibus et orificiis, et hoc est quod sequitur: «Clausi sunt fontes abyssi.» Ita S. Chrysostomus et Ambrosius. Quae sil haec abyssus dixi cap. vii, vers. 11. Idem ventus eadem vi effecit ne ex hoc diluvio ulla postea lues, vel pestilens quippiam spargeretur.

Vers. 2. 2. ET PROHIBITA SUNT PLUVIAE DE COELO. — Non quasi hucusque continuo pluerit per 150 dies, sed quod decrescere diluvio, Deus omnes omnino pluvias, etiam ordinarias prohiberit, ut eo citius decresceret aquae; et terra siccaretur. Prohibuit ergo hic pluviam Deus per septem integros menses, scilicet a 17 die mensis septimi, quo coepit aqua decrescere, ad 27 diem mensis secundi sequentis anni, quo arefacta est terra, ut patet vers. 14.

3. EUNTES ET REDEUNTES, — euntes redeundo ad *Vers. 8* mare, et ad abyssum subterraneam, per varios meatus, perque occultas venas. Ita S. Hieronymus.

MENSE SEPTIMO, — ab initio, non diluvii, ut volunt aliqui, sed anni, ut patet ex vers. 13 et sequentibus.

4. VIGESIMO SEPTIMO DIE. — Ita legitur constanter *Vers. 4.* Latina Biblia, Septuaginta et Patres omnes, et ratio evincit ita legendum esse. Nam cum per 158 dies aquae maentes in sua altitudine obtinuerint terram, sequitur eas in sua altitudine mansisse usque ad diem 17 mensis hujus septimi; coepit enim diluvium 17 die mensis secundi. Jam a 27 die mensis secundi, ad 17 diem mensis septimi, praecise intersunt 150 dies, post quos aquae coeperunt decrescere; ergo 17 die mensis septimi coeperunt decrescere; non potuerunt autem uno die 15 cubitis, quibus quaeversum montes, non tantum Armeniae, sed etiam his altiores in tota terra superabant, ita decrescere, ut eodem die 17 arca quiesceret in montibus Armeniae; sed sensim hoc factum est, ita videlicet ut post 10 dies, puta 27 die ejusdem mensis, arca quiescere posset in illis montibus, ut hic dicitur. Valde enim lente decrevisse aquas patet ex eo quod, post quietem arca mense septimo, decimo tandem mense apparuerint caecumina montium. Quare Hebraea et Chaldaea hic non tam mutua, quam distorta et divulsa sunt; nam pro 17 habet 27, nimirum pro duabus disjunctis vocibus ארבע עשר *asar rom*, id est, decimo die, legendum est conjunctim unica voce עשרים *esrim*, id est, vigesimo, supple die.

Perperam ergo Eugubianus, Cajetanus et Lipo-manus dixerunt nostrum textum hic esse corruptum.

MONTE ARMENIE. — Hebraice est, *montes Ararat*, quod Chaldeus vertit, *montes Cordu*, quos Josephus et Curtius *Cordicos* vocant. Hi montes, inquit Pererius et Delrio, sunt pars Tauri montis (qui variis diversis locis nomina accipit), ubi insimul Ciliciae et Araxi fluvio, qui forte Ararat hebraice dicitur. Inde Stephanus, lib. *De Urbibus*, Tarsum Ciliciae dictam putat a *ἄριστος*, id est, arefacio, quod in argumentum exsiccatie ibi primum terre, ibidem Tarsus sit condita. Verum alii Tarsum a Tarsis, filio Japhet, conditam et appellatam censent (1).

Nota: Armenia postea ita dicitur, ab Aram, filio Sem, nepote Noe, *Genes. cap. x.* Quod si etymon Hebraicum spectes, Aram et Armenia significat altam et excelsam; est enim Armenia omnium orbis partium celsissima, idque vel ex eo colligitur, quod in montibus Armeniae primum, decretescent diluivio, arca resederit.

VERS. 5. *5. DECIMUM MENSURA*, — non a coepto diluivio, ut vult Tostatus et Cajetanus, sed a coepto anno 600 vite Noe, ut patet cap. preced. vers. 11, et hic vers. 13 et 14. Ita Lyranus et Pererius.

APPARUERUNT CAECUMINA. — Licet enim jam ante, mense septimo, arca quieverit in montibus Armeniae, nondum tamen tum detecti erant montes; nam arcae moles aliquot cubitis (puta septem vel octo) pondere suo sub aquas penetrarat, ut solent facere navis onerariae; his ergo cubitis septem vel octo sensim decretescent aqua, tandem detecti sunt montes, ita ut Noe spectanti per arcae fenestram, demum mense decimo apparuerint caecumina montium. Verisimile est ea prius fuisse relecta et nudata aquis, sed mense decimo primum apparuisse, et visa esse ipsi Noe. Adde, non est necesse dicere equaliter et aequo tenore, sensim semper decrevisse aquas; verisimile est enim initio eas magis decrevisse, idque ut arca amplius non fluitaret, sed subsideret in montibus Armeniae, ad securitatem et consolationem Noe: nam initio statim non tantum per ventum siccatate et densatae sunt aquae, sed etiam a Deo subito reductae sunt in suam abyssum, ex qua prodierant, quae sane ingentem aquarum copiam exceperit, ibique sunt reclusae; unde vers. 2, dicitur: « Et clausi sunt fontes abyssi. »

VERS. 7. *7. QUI (CORVUS) EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR.* — Chaldeus, Josephus et, ut nonnullis

(1) Est etiamnum hodie regio in Armenia, quam incolae *Aranat* vocant, sita medio fere loco inter Araxem, hancque Van et Ormiam, quae in d'Anvilleana Asiae delineatione invenitur sub grad. longit. 63, latit. 39. Mons quidem ipse, in quo subsiderit navis, certe non potest definiti, sed tamen verisimile est, illum in ea quaterendum esse regione, ubi hodie *Macis* invenitur, mox 12 miliaribus Gallicis ab urbe Erivan ad Orientem situs, aeternis nivibus tectus, et a Persis *Couch Nouh*, id est, *Mons Noachi* dictus. In ejus caecumine navim Noachi adhuc incorruptam exstare, credunt etiamnum Mohammedani, teste Chardin, *Voyages*, tom. II, pag. 188, edit. Paris, 1811.

videtur ipsa Hebraea habent contrarium, scilicet, *revertens corvus egrediebatur et revertebatur*. Unde Calvinus nostrum textum Latinum falsitatis accusat; verum Septuaginta, noster Interpres et Patres omnes, praeter Procopium, legunt cum negatione, *corvus egrediebatur, et non revertebatur*. Utraque versio et lectio verum habere sensum, ac prorsus una cum alia facile conciliari potest.

Pro quo nota: Hebraea ad verbum sic habent: *Corvus egrediebatur excedendo et redeundo*, scilicet, corvus hic emissus ex arca, teste S. Augustino, S. Chrysostomo et aliis, videns cadavera in montibus jacentia, aut in aquis natantia, quae necdum dissoluta, vel a piscibus devorata erant, illorum aviditate; aut potius, ut censet Pererius, quia clausurae in arca pertusae, libertatis erat avidus, in arcam regredi volebat; quia tamen terra adhuc erat limosa et aquosa, subinde revolabat ad culmen arcae, illique insidebat, ut rursus ad cadavera revolaret. Revertebatur ergo corvus ad cacumen arcae, non vero revertebatur ad Noe, in ipsam arcam, sed ultra circoque volabat. Unde Noe ex eo, an et quantum siccaret terra, scire non poterat; hinc paulo post columbam emisit, quae id exploraret. Vide Franco. Lucam notat. 3 in Gen.

Secundo et magis genuine, Hebraicum *וּשְׁבוּ*, significat redire, non ad Noe emittentem, sed ad pristinum locum, libertatem et consuetudinem: unde *seob* saepe sumitur pro *redere*, ut patet hic vers. 3, et *Ruth. i. 16*, et *Ezech. xviii, 26*, et alibi saepe; quare in Hebraeo ita est ad verbum: *Corvus egressus est egrediendo et redeundo, donec siccaretur aquae super terram*, hoc est, magis magisque egrediebatur, et recedebat, donec siccaretur terra; id enim naturale est avibus, ut dimissae e cavea, quam longissime aufugiant. Hunc vero sensum clarius explicuit noster Interpres, dum vertit: « Egrediebatur, et non revertebatur. » Unde et S. Hieronymus in *Tradition. Hebr. in Genes.*, ait in Hebraeo esse, *egressus est caecus et non revertens*; ita solerter et docte P. Gordonus, lib. I *Controv. cap. xix.* Corvus enim extens revertebatur ad suam libertatem, ac consequenter ad arcam non revertebatur, sed ab ea longius recedebat; et hoc significat Hebraicum *seob* (1).

Ex hoc loco corvus apud Hebraeos in proverbium abiit, ut dicant *corvus nuntius*, de eo qui missus est, et tarde vel nunquam redit. Corvus non est reversus ad arcam, sed columba: corvi sunt, qui differunt penitentiam, dicunt: *Cras, cras*; columbae gementes sunt, qui statim penitent, et redeunt ad arcam. Hinc Alcuinus, lib. *De Virtutibus et vitiis*: « *vorle*, ait,

(1) Hebraici textus sensus est, corvus semel egressum dum exsiccabatur terra, saepius rediisse, demoque exisse. Similis constructio est *I Sam. vi, 12*; *II Sam. iii, 16*. Quaestio autem, Hebraice librorum negationem detraxerit, an addiderint Graeci, difficillima est.

respondes: *Cras, cras* (scilicet convertar); o vox corvina! corvus non redit ad arcam, columba redit; si tunc vis penitentiam agere, quando peccare non potes, quando peccata te dimiserunt, non tu illa: satis alienus es a fide, qui ad agendam penitentiam tempus senectutis exspectas. » Aliter S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. xvii: *Emissio corvi, ait, significat « quod omnis justus quando mundare se incipit, quae tenebrosa sunt, et immunda et temeraria, primo a se repellit. Siquidem omnis impudentia atque culpa tenebrosa est, et mortuis pascitur sicut corvus. Et ideo tanquam emittitur et fugatur culpa, et separatur ab innocentia, ut nihil remaneat in viri justi mente tenebrosam. Denique egressus corvus non revertitur ad justum, quia fugitans culpa omnis est aequitatis, nec probitati videtur et justitiae convenire. » Et cap. xviii, columbam ad arcam reversam, ait significare simplices et innocentes, qui missi ad saeculares convertendos, cum in iis vident inundasse malitiam, ne frustra laborent, et ea inguenter, mox ad mentis arcam revolant: « Tarde enim, ait, inter astutias istius mundi, et saecularium fluctus cupiditatum, portum solet invenire simplicitas. » Vide apud eum plura si lubet.*

DONEC SICCARENTUR AQVAE. — *Donec* non significat post terram siccalam corvum in arcam regressum esse, sed tantum ante siccationem non esse regressum; sic sumitur *donec*, *Math. cap. i, vers. ult.*; *Psal. cix, 2*, et alibi.

VERS. 9. *9. UBI REQUIESCERET.* — Adhuc enim omnia erant limosa et luto obsita.

AQVAE ENIM ERANT SUPER UNIVERSAM TERRAM. — Licet enim montes altos deseruissent, tamen adhuc totam terram planam, sive campestem occupabant.

VERS. 11. *11. AD VESPERAM.* — Tota die pasta (ait S. Chrysostomus, *homilia 26*) ad comparem in hospitium notum redit, ut nocturnum frigus vitet. Ita Delrio.

RAMUM OLIVAE. — Quia olea semper vivit foliis, teste Plinio lib. XVI, cap. xx. Potuit ergo olea haec sub aquis diluivii annum integrum folia sua servare. Ita S. Chrysostomus, *hom. 26*: licet S. Ambrosius, lib. *De Arca*, cap. xix, malit oleam hanc sub aquis germinasse, non naturaliter, sed per Dei omnipotentiam.

Nota: Licet diluivium straverit plerasque omnes arbores in planitie sitas, oleam tamen hanc, aliquasque alias arbores et plantas, potuisse inter montium petras, quae aquarum vim refrangebant, servari.

Nugantur hic Judei, qui ramum hunc fabulantur allatum esse ex Sion, et monte Olivarum, ad quem quasi sacrum non pertigerit diluivium. Alii enim ex paradiso allatum somniant.

Tropologie: *Olive*, inquit S. Ambrosius, est insigne divinae misericordiae Rursus olive, inquit Pererius, hieroglyphicum est pacis, victo-

Olive symbolum est

riae, aternitatis et felicitatis. Columba ergo haec cum ramo olive Noe et mundo quasi securitatem ab aquis, pacemque ac Dei reconciliationem afferbat. Plura de symbolo olive dicam *Levit. cap. II, vers. 1*.

Allegorice, Noe est Christus, arca Ecclesia; post passionem et mortem Christi, adduxit Deus spiritum reducem vita, cum Christum susceperit a mortuis, tumque dedit hominibus spiritum Sanctum in remissionem peccatorum. *Secundo*, non statim exsiccatae sunt aquae per spiritum, quia Deus aquas concepsissent et tentationum ac peccatorum omnium non statim exsiccat, sed cum tempore; *tertio*, arca primo requievit in montibus, quia tempore passionis Christi, Ecclesia in Apostolis constitit; *quarto*, Noe 40 die fenestram aperuit, quia Christus 40 die post resurrectionem caelos ascendit et reseravit; *quinto*, corvus emissus non revertitur, quia Judei infideles ex Ecclesia ejeti, ad eam non redeunt; *sexto*, columba est spiritus Sanctus, qui in specie columbae super Christum visus est; *septimo*, tertia emittitur columba, quia spiritus Sanctus ter ad nos venit: *primo*, cum baptizantur; *secundo*, cum confirmantur; *tertio*, cum suscitabit corpora nostra. *Octavo*, columba non sedit in terra lutosa, vel cadaveribus, quia spiritus Sanctus non intrat in carnalem et malevolam animam; *nono*, columba ad vesperam venit, quia spiritus Sanctus novissimis Christi diebus effusus est; *decimo*, columba affert ramum olive, quia spiritus Sanctus affert nobis oleum divinum gratiae pacemque cum Deo; *undecimo*, Noe per columbam certificatur aquas cessasse, quia spiritus Sanctus reddidit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei; *duodecimo*, Noe tectum arcae amovet, quia Christus omnia impedimenta amovet, ut liberum habeamus ingressum in caelum; quod tunc fiet, cum dicit: *Venite, benedicti Patris mei, etc.*

QUOD CESSASSENT AQVAE. — Quod usque ad arbores et terram essent imminuta.

13. IMMINUTE SUNT AQVAE. — usque ad terram, ita ut terra sicca apparuerit. Ubi nota: Primo die mensis primi, anni 601 Noe, terra hic dicitur exsiccat; intellige inchoate, ita scilicet, ut esset nudata aquis, remaneret tamen adhuc limosa et cerosa: nam perfecte a cono et limo siccata post 37 dies, scilicet 27 die mensis secundi, ut dicitur vers. seq., ita scilicet, ut Noe cum suis arca egredi, et per terram ingredi posset. Ita Pererius.

ET APERTENS NOE TECTUM ARCAE, ASPEXIT. — Noe non aperuit totum arcae tectum, sed tantum partem, puta unam alteramve ejus tabulam, quantum scilicet opus erat, ut commode supra ipsum tectum elevari posset, et inde undique circumspicere (quod non poterat facere de fenestra, ut pote quae ad latus arcae posita erat) et videre, an jam ubique aquae deseruissent terram.

Tropologie S. Ambrosius, lib. *De Noe*, cap. xx:

prae, etiam in

lib. II, ca. 13.

VERS. 13.

Noe, id est, vir justus, aperit tectum, ut speculetur incorporalia, puta Deum et cœles: « Elideo, inquit, justus quem non videbat Dominum requirebat, corruptela exors, cupidus aternitatis. »

Vers. 14. 14. MENSE SECUNDO, SEPTIMO ET VIGESIMO DIE MENSIS ANAFACIA EST TERRA. — Ex hoc loco patet diluvium durasse annum integrum, et decem dies; cepit enim anno 600 Noe, die 17 mensis secundi; finitum autem est anno 601 Noe, die 27 mensis secundi: fuit ergo Noe in arca anno integro et decem dies.

An Menses utantur hic anno lunari, an solari? Putat Pererius annum hic lunarem intelligi, qui continet duodecim lunationes, sive duodecim lune circuitus per Zodiacum, ac consequenter continet dies 354, ideoque undecim diebus minor est anno solari; hic enim continet dies 365. Ratio Pererii est, quia Hebræi utebantur mensibus, et consequenter annis lunaribus; ergo isdem videtur hic uti Moses.

Verum hæc ratio non omnino concludit: nam Hebræi utebantur mensibus lunaribus, propter festa plura, quæ secundum lunam celebranda erant, uti neomenia celebranda erat in novilunio, et pascha 14 luna mensis primi; inde tamen non sequitur Moysen in Pentateucho isdem uti. Nam Moyses conscribit hic chronologiam mundi, quæ secundum annos solares, utpote usitatissimos et communissimos conscribi solet. Adde: Hebræi suos annos lunares, per intercalationem, secundo, vel tertio quoque anno, redigebant ad annum solarem, eique coequabant; itaque ipsi quoque anno solari utebantur; alioqui enim non potuissent semper inchoare annum suum mense novarum fragum, et in eo celebrare Pascha.

Anno solari uti Moysen, suadet id quod dixi cap. vii, vers. ultim., scilicet a 17 die mensis secundi, usque ad 27 mensis septimi fluxisse 160 dies, ita ut primis diebus 150 aque in suo statu constiterint, deinde decem ultimis diebus ita sint imminute, ut arca hæserit in montibus Armeniæ. Si enim menses lunares accipias, dicendum est, post illos 150 dies diluvii, terram subito per quatuor dies ita siccitum fuisse, ut arca in montibus illis herere potuerit, cum tamen postea lente admodum siccata sit, ut patet vers. 3, 13, 14.

Vers. 16. 16. EGREDERE TU ET UXOR TUA. — Nolant sanctus Ambrosius, lib. De Arca, cap. xxi, et Cajetanus, in ingressu arce, cap. vi, vers. 18, juberi a Deo, seorsum uxores a maribus ingredi; sed in egressu juberi simul egredi: quia, inquit S. Ambrosius, in ingressu, facile illa separationis phrasi, a Deo monentur singuli abstinere a conjugio et a generatione, eo quod tunc esset tempus luctus et penitentiae: in egressu vero, alia combinationis phrasi monentur uti conjugio, ad hominum propagationem.

Vers. 17. 17. CUNCTA ANIMANTIA, etc., EDUC TECUM, ET IN QUI FERRE GREDIMINI SUPER TERRAM. — Quares, quomodo post diluvium lupi, vulpes, leones, tigrides aliæque

noxia fera de Asia, in qua ex arca egressus est rina ad Noe, ad insulas et terras medio mari ab ea separatas, ac præsertim in Americam, devenire poterint?

Respondet S. Augustinus, lib. XVI De Civit., cap. xvii: Tripliciter, scilicet animalia hæc vel natando ad insulas transisse, vel ab hominibus navibus eo fuisse deportata, vel Dei ordinatione et creatione in ipsis esse producta. Hoc tertium parum credibile videtur; nam post diluvium, imo post primam rerum creationem, Gen. 1, factam, nihil de novo creavit Deus: idcirco enim ex singulis animantibus masculum et feminam induxit in arcam, ut salvaretur semen eorum super terram, Genes. vii, 3.

Verius ergo est feras has, natando, ad insulas pervenisse. Experientia enim docet feras per integros dies et noctes, necessitate urgente, natare et enatare. Hujus rei magnum indicium est, quod in novo orbe, puta in America, fera hæc reperiantur per totam continentem, et in insulis ei vicinis; in insulis vero a continente quadridui itineris dissitis nequaquam reperiantur (quia scilicet tamdiu jejunare, ut eo natando pervenirent, non poterunt, ut si diligenter observasse, dum in America habitaret, asserit noster Josephus Acosta, lib. I De Novo Orbe, cap. xxi: unde addit nullam vulpem, leonem, ursum, aprum, aut figridem reperiri in insula Cuba, Hispanica, Margarita et Dominica, quia longius a continenti absunt: perinde ut ante adventum Hispanorum in insulis nulli erant boves, equi, canes, vacæ, quibus ab Hispanis postea invecitis, insula ille modo abundat.

Potro tam homines, quam animalia ex hoc orbe in Americam penetrasse terrestri itinere, aut parva et facili navigatione, probabiliter conjectat Acosta ex eo, quod Indi isti nec maguarum navium usum, nec magnetis, astrolabii et quadrantis peritiam habuerunt, sine quibus si per plures dies in pleno mari naviges, toto cœlo errabis. Hinc ait, sicuti insula occurrit a continente, atque aliis insulis valde disjuncta, qualis est Bermuda, eam omnino hominum carere commercio comperimus. Unde concludit ipse quod America nostro huic orbi sit continens, nostræque terræ aliquibus locis cohæreat, aut certe ab ea non sit valde disjuncta, ita ut scaphis, aut parvis navigiis eo trajici possit. Nam ad polum Arcticum non est omnis longitudo Americæ satis explorata, multique putant super Floridam latissimam esse terram, et Baccalcos usque ad Europæ extremam porrigi.

Secundo, quedam fera ab hominibus vel luri, vel novitatis, vel venationis, vel magnificentie, vel alia de causa eo delatæ sunt, uti hæc in cavels spectandæ deferuntur, quarum quedam ex cavels elapse ad montes et silvas fugerunt, ibique generando multiplicarunt.

Si cui hæc non sufficiunt, is ad Dei providen-

tiam recurat, dicatque, sicut cuncta animalia ab angelis in diluvio perducta sunt in arcam, ita post diluvium eorumdem opera per varias terras et insulas fuisse dispersa. Ita Tornielius anno mundi 1631, num. 49.

Vers. 19. 19. SECUNDUM GENUS SUUM. — secundum speciem suam, q. d. Animalia bina, vel septena, secundum species suas egressa sunt ex arca, ita scilicet ut animalia (mares et femina) ejusdem speciei simul egredierentur.

Vers. 20. 20. ALTARE. — Primum hoc est altare quod legitur in Scriptura; tamen non dubium est alia prius existisse, utpote in quibus sacrificavit Abel, cap. iv. Altare dicitur quasi alta ara, in qua scilicet victimæ Deo mactantur et offeruntur; unde altare hebraice dicitur כֹּבֵחַ mizbeach, a זָבַח zabach, id est, mactavit.

HOLOCAUSTA. — Ex septimo illo mundorum animalium caelibe, seu solitario masculo, uti dixi vers. 2. Ita Diodorus Tarsensis in Catala.

Vers. 21. 21. ODORATUSQUE EST DOMINUS ODOREM SUAVITATIS. — puta odorem bonæ fragrantie, uti legit Novatianus, lib. De Trinitate, q. d. Deus acceptavit holocaustum Noe, tanquam rem sibi suavem et gratam; Deus eo delectatus est, sicuti nos nidore carniæ assarum delectamur et pascurum: est enim sacrificium quasi cibi Dei; unde Chaldaeus verit: Susecept Dominus cum benepacito oblationem ejus. Hebraice pro odorem suavitatis, est רִיחַ הֶבְרֵה reah hammichoach, odorem quietis: quia scilicet hoc sacrificium Deum generi humano iratum placavit et tranquillavit. Ita Vatablus et Oleaster (1).

Loquitur Moses metaphorice et anthropopathes, q. d. Fumus hic sacrificii, et odor qui cum fumo ascendebat sursum, ad similitudinem suavis odoris placuit Deo, et quasi fetorem peccatorum sustulit a naribus Dei: quia, ut ait S. Chrysostomus: « Justi Noe virtus fumum et nidorem victimæ, Deo fecit odorem fragrantie. » Ita Plato et Lucianus simili modo deos gentium inducunt, quasi suaviter odorantes sacrificia, eorumque nidore gaudentes.

AIT AD EUM. — Hebraice אָמַר אֵל לִיבֵר amar el libbo, dixit ad cor suum; Chaldaeus verit, dixit in verbo suo; Septuaginta, dixit cogitans, seu post multam cordis cogitationem et considerationem, q. d. Dixit Deus hoc maturo consilio, et deliberato decreto. Secundo, dixit ad cor suum, potest accipi pro dixit in corde suo, vel ex corde suo, q. d. Serio, et ex intimo corde dixit; אֵל enim saepe capitur pro כִּין min, vel bet. Tertio, Delirio sic explicat: dixit ad cor suum, id est, dixit ad Noe, qui erat coreulum Dei. Quarto, optime ex phrasi Hebræa sic exponas: amar el libbo, id est, dixit ad cor ejus, puta Noe, qui præcessit: ad

(1) Vel, ut alii, quietis, id est suavitatis, q. d. suavem et fragrantem odorem, quo ejus animas veluti pacaretur. Nam fragrans odor animam turbatum exhilarat et recreat.

Noe enim hæc diei, omnes veteres consentiunt, est cor. q. d. Deus placatus sacrificio Noe locutus est ei ad cor, id est, consolatus est eum, demulsit eum, dixit illi ea quæ cordi ejus gratissima et jucundissima erant; hoc enim est Hebræi loqui ad cor alioquin.

NEQUAQUAM ULTRA MALEDICAM TERRE. — « Maledicam, » id est, maledicam, q. d. Non amplius terram perdam diluvio, uti feci.

PROPTER HOMINES. — propter hominum peccata. SENSES ENIM. — q. d. Miserebor humanæ infirmitatis et proclivitatibus ad malum, ac proinde eorum peccata deinceps non puniam generali totius orbis diluvio; sed quosque peccantes proptis et particularibus penis castigabo: volo enim ipsum humanum genus conservare et propagare.

SENSUS ET COGITATIO HUMANI CORDIS. — Hebraice מַחְשַׁבֵּי לֵב הָאָדָם mactset leb hadam, « figmentum cordis humani, » id est, ipsa natura et essentia hominis, puta ratio et voluntas, mala est, inquit Lutherus et Calvinus, sed inepie: nam ipsa natura, ratio et voluntas hominis sunt figmentum, non hominis, nec cordis humani, sed Dei et voluntatis divine. Figmentum autem cordis humani est ipsa ejus cogitatio, intentio, machinatio, ut vertunt Noster, Septuaginta, R. Kimchi et alii passim; tam Hebræi, quam Græci et Latini; hæc enim sibi fingit et plasmat homo in sua cordis officina; unde patet hominem esse liberi arbitrii: sicut figulus liber est, ut fingat tale vel tale figmentum, aut vas quod ipsi libuerit.

Secundo, et melius, « figmentum, » id est, figura et officina cordis humani prona est ad malum, ut illud formet et effingat; nam sicuti figulus in sua figulina format lances, ollas, matulas: ita homo in sui cordis et concupiscentiæ officina format ibi imaginationes rerum omnium, quas concupiscit. Hæc ergo figulina, vel officina cordis humani peccato corrupti, est ipsa concupiscentia, sive sensus, et, ut Septuaginta vertunt, δὲσέωσ, mens peccato corrupta, et cogitabunda malorum, quæ motus concupiscentiæ profert et producit.

Dices: Ex concupiscentia nihil boni, sed tantum motus concupiscentiæ, qui mali sunt, prodire possunt; ergo ex corde humano nil boni, sed tantum malum prodire potest. Respondeo: Nego consequentiam, quia in corde humano est duplex officina, una concupiscentiæ, altera rationis, legis et virtutis; illa ad malum, hæc ad bonum propendit; hæc enim præpensionem ad bonum naturaliter nobis inseruit Deus: jam in hominis arbitrio est, ut operetur in officina concupiscentiæ, vel rationis, et consequenter ut eligat et operetur vel malum, vel bonum, præsertim si gratia Dei adjuvetur.

IN MALUM PRONA SUNT. — Hebraice רַע הֵן, id est, mala sunt, puta ipsa figmenta, cogitationes et machinationes, quas sibi format et fingit cor huma-

Figulina cordis humani peccato corrupti est concupiscentia.

In cordis est duplex officina, una virtutis, altera concupiscentiæ.

num, peccato et concupiscentia infectum et corruptum. Verum noster Interpres profundius vidit *ra*, id est, mala, sumi causaliter; pro *prona sunt ad malum*, aut, ut Septuaginta vertunt, *in-cumbunt in mala*: nam, ut dixi, figmentum sumit pro ipsa figulina, sensu et concupiscentia, que formaliter non sunt mala, id est, peccata; sed causaliter, quia prona sunt ad malum, et ad malum hominem incitant. Hec enim est apposta ratio, cur Deus dicat se miseretur hominum, ut amplius eorum peccata non puniat diluvio, quia scilicet homines a nativitate infirmi, debiles et proni sunt ad malum: nam actualis malitia et peccatum, non misericordiam, sed iram Dei provocat.

AD ADOLESCENTIA SUA. — « Ex illa enim ætate, ait S. Ambrosius, crescit malitia; nam diligentia et studium peccandi incipit a juventute: ut puer quasi infirmus peccet, juvenis tanquam improbus, qui studiosè cupiat peccata committere, et criminibus gloriatur. »

22. CUNCTIS DIEBUS TERRE. — Non quamdiu terra durabit: hæc enim stat in æternum, sed quamdiu in terra erit generatio et corruptio, eruntque homines et animalia, propter que hæc temporum varietas inducta est.

SEMENTIS ET MESSIS. — Putat Isidorus Clarus annum hic more Hebræorum in sex partes dividi, scilicet in floritionem, murationem, calorem, seminationem, frigus et æstatem, de quibus Delrio hic. Verum longe verius est, ut patet ex ipsis antithesibus, hic describi, primo, vicissitudines laboris, unam seminandi, alteram metendi: sementis enim hic significat tempus seminandi; messis, tempus metendi; secundo, vicissitudines anni, æstatem et hiemem: tertio, vicissitudines qualitatum et tempestatum, frigus et æstum.

NON REQUIESCENT. — Non cessabunt, non desinent sibi mutuo succedere, uti desierunt et cessarunt toto anno diluvii.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus hoc capite homini per diluvium quasi renovato et recreato pristina bona, que per peccatum et diluvium amissa videri poterant, restituit, scilicet fecunditatem, imperium in bestias, alimoniam etiam meliorem. Primo ergo Deus Noe ejusque posteritati benedicit, eique esum carnum indulget, non tamen sanguinis; unde secundo, vers. 3, homicidii pœnam sancit. Tertio, vers. 9, pactum init cum Noe, de non inducendo amplius diluvio, pactique tesseram dat iridem. Quarto, vers. 20, Noe inebriatur, et dormiens a Cham nudatur, sed a Sem et Japhet tegitur, ideoque evigilans maledicit Cham, sed Sem et Japhet benedicit.

1. Benedixitque Deus Noe et filiis ejus. Et dixit ad eos: Crescite, et multiplicamini, et replete terram. 2. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ; et super omnes volucres cœli, cum universis que moventur super terram: omnes pisces maris manus vestræ traditi sunt. 3. Et omne, quod movetur et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia: 4. excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis. 5. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: et de manu hominis, de manu viri et fratris ejus, requiram animam hominis. 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. 7. Vos autem crescite et multiplicamini, et ingredimini super terram, et implete eam. 8. Hæc quoque dixit Deus ad Noe, et ad filios ejus cum eo: 9. Ecce ego statum pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos: 10. et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucribus, quam in jumentis et pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, et universis bestiis terræ. 11. Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram. 12. Dixitque Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas: 13. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. 14. Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus: 15. et recordabor fœderis

mei vobiscum, et cum omni anima vivente quæ carnem vegetat; et non erunt ultra aqua diluvii ad delendum universam carnem. 16. Eritque arcus in nubibus, et videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram. 17. Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me et omnem carnem super terram. 18. Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham et Japhet; porro Cham ipse est pater Chanaan. 19. Tres isti filii sunt Noe: et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram. 20. Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, et plantavit vineam. 21. Bibensque vinum inebriatus est et nudatus in tabernaculo suo. 22. Quod cum vidisset Cham, pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras. 23. At vero Sem et Japhet pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, faciesque eorum aversæ erant, et patris virilia non viderunt. 24. Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, 25. ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. 26. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus. 27. Dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus. 28. Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis. 29. Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.

Vers. 2. Post peccatum Deus restituit homini seminum dominium in bestias.

2. TERROR VESTER SIT SUPER CUNCTA ANIMALIA TERRE. — Nota: Homo per peccatum plenum dominium in bestias amisit; unde aliquale et semiplenum ei dominium hic restituit et confirmat Deus: indidit enim Deus animalibus timorem quemdam, quo hominem, quasi dominum suum, timent et reverentur; et, si feræ sunt, hominis conspectum fugiunt, nec in eum sæviunt, nisi injuria læsantur, aut fame urgeantur; quin et pisces, ait S. Basilius, hom. 10 *Hexan.*, humanas umbras vereantur, et ab ipsis aufugiunt; imo et elephantes, si credimus Plinio, lib. VIII, cap. IV, hominum vestigia formidant. Hinc videmus sæpe hoves et equos a parvis pueris agi. Rursum, aves et feræ homo sagittis dejicit: nec ulla est bestia tam fortis, que non possit per hominem capi et domari. Audi S. Ambrosium, epist. 38 ad *Horatium*, vere et eleganter docentem quomodo feræ et irrationalia hominis rationem agnoscent, ejusque mansueti imperio mansuescant: « Sæpe, inquit, suspenderunt morsus suos revocante sono vocis humanae; videmus innoxio canum dente lepores sine vulnere capi; leones quoque ipsos, si vox hominis resulaverit, prædam dimittere; pardos atque ursos incitari ac revocari vocibus; equos plausu hominum fremere, silentio molli cursum. Denique sæpe verberare sine prætereunt verberatos: ita vehementer illos incitat linguæ flagellum. » Adhuc deinde: « Quid vero de muneribus loquar? Nutrit aries vellera, ut placeat homini, atque in fluvio mersatur, ut nitorem auget. Oves quoque meliora pabula legunt, ut suaviore succo lactis fœta distendant ubera; subeunt partus dolores, ut homini sua munera ferant. Tauri depresso sulcis per totum diem aratro genuant, Cameli præter subeundi oneris obsequia,

tendendos se exhibent ut arietes, quo velut regi diversa animalia tributum suum conferant, pendantque vestigal annum. Equus tanto se jactans equito, glomerat gressus superbos, atque ad domini assonum dorsa sinuatus, herili terga substernit sedili. »

Maxime tamen hæc promissio in fidelibus impletur, quibus per Christum dictum est: « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, » *Luc. x.*; et: « Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, » *Marci xvi.* Ita leones cervicæ dejecta accesserunt ad S. Antonium, ejusque manus et pedes circumlinxerunt benedictionem petentes: ita bonus serpens obediit S. Hilariioni, duo dracones Ammoni, onager Macario Romano, hippopotamus Beno, crocodillus Heleno, leena Joanni Abbati, hyæna Macario Alexandrino, canis Abbati Subavorum Syrorum, ut habetur in eorum vita in *Vitis Patrum*. Topologiam vide apud S. Gregorium, lib. XXI *Moral.* cap. xi.

3. OMNE QUOD MOVETUR ET VIVIT, ERIT VOBIS IN CIBUM. — « Omne, » scilicet comestibile, et humane complexioni conveniens: viperæ enim, scorpiones aliaque venenata animalia comedi nequeunt, quia repugnant complexioni humane, eamque destruant. Adde non præcipi, sed permitti hic homini omnium, id est quorumlibet, esum, *q. d.* Permittit ut omne, id est quodlibet, quod placebit, quod complexionis et palato vestro gratum erit, in cibum assumatis. Ita Abulensis. Non ergo peccant Religiosi, qui hæc Dei permissione non utuntur, et ad carnis macerationem, vel semper, vel certo tempore carnis abstinent: quinimo heroicæ temperantiæ actus et signa edunt.

Deus permittit Noe esum carnum, non ante præcipit.